DE

VI, QUAM MORBI CEREBRI IN FUNCTIONES SENSUUM EXERCENT.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHYSIOLOGICO - PATHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XX. MENS. IULII A. MDCCCXXXVI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOANN. ANTON. EDUARD. LIESE

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

H. L. EULENBERG, MED. ET CHIR. DD.
H. E. OVERKAMP, MED. ET CHIR. CAND.
H. C. STHOMER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

NEC NON

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

FRANC. MICH. LIESE

HAS

QUALESCUNQUE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Animum, in res atque materiam quum translatus est, tum agere tantum et in eum ipsum agi posse interpellatione organicorum apparatorum, nemo non scientia comprehendit. Arcto quodam vinculo conjuncta sunt animus et corpus. Illius enim vires, quae tenues sunt ob hujus imbecillitatem in pueritia, vigent et florent in aetate puberi virilique; dum senectus aufert viriditatem, et adversae res, labores, morbi languorem afferunt animo eumque frangunt. Animus vero ut arctam conjunctionem habet cum corpore, quum illius status teneatur statu hujus et vice versa: ita sensuum, quos hominum generi rerum natura tribuit, arctissime cohaerent functiones cum conditione cerebri. Continentur enim vario modo hujus alienationes alienationibus illorum et vice versa; ut minister quasi animi sit cerebrum in functionibus olfactus, visus, gustus, auditus et tactus. Actiones corporis ministrant animum, qui non videt ipse. Cerebrum autem ita agit in percipiendis impressionibus, ut, simulac sunt

factae, juvet ad aspectum formandum. Recte mihi hoc videor esse dicturus, quum pro eo certent:

1) ortus nervorum organorum sensuum;
2) observatio, secundum quam externi sensus progrediuntur cum progressu partium cerebri respicientium;
3) organa sensuum a cerebro sejuncta functionem psychicam amittunt;
4) dolores capitis, qui sequuntur post intensam oculorum et aurium aciem: ex quo autem non stricte sequitur, cogitatione ut dolores provocentur;
5) cerebri alienationes sensus externos turbant. Quo loco operae fuerit pretium explicare, imaginatio num turbetur vel adspectus, nec ne.

Cerebrum igitur in sensuum contemplatione auxiliari facile intelligimus; num vero in suscipiendo, an in cogitando parum liquet.

In sequentibus nobis jam propositum est inquirere, quomodo varii cerebri morbi in singulas sensuum functiones agant et primo dicere:

I. DE OLFACTU.

Quanti sit momenti actio olfactus in animum ad ipsius gradum vigoris et viriditatis, satis abundeque usu observatum. Quae odorem acutum spargunt res, nervorum vim restituunt, ut in syncope, spasmis, febribus nervosis conscientia relicta revocatur et nimis magna irritatione dolores capitis vertiginem, soporem et apoplexiam provocant. Ex hisce nunc et vice versa concluderet ali-

quis, etiam cerebri et animi irritationibus procreari multas varias interpellationes olfactus. Ut vero ita res se habeat, multum abest. Haud magnum enim constat esse numerum morborum cerebri, in quibus olfactus turbationes observatae sint. Olfactus, quae a cerebro dependent, interpellationes sunt: hyperosmia, olfactus perversus et anosmia.

1) *Hyperosmia.* In hystericis, ubi irritabilitas cerebri maxime adaucta est, hyperosmia symptoma est frequentissimum. In anaemia eadem praevalet cerebri conditio; nam quantitas sanguinis minuta non nervorum irritabilitatem minuit; nimis autem magna quantitas sanguinis deprimit irritabilitatem cerebri et nervorum. Eadem cerebri conditio adest in morbis colliquativis e. g. ad finem phthiseos tuberculosae; et ibi quoque saepenumero observatur hyperosmia. Haud raro hominum ejusmodi aegrotantium ea conditio observatà est, ipsis ut cibi, potus, medicamina, quae quamquam non acutum spargunt odorem, attamen essent nimis gravia et non ferenda. Supervacuum est casus multos enarrare, partim, quod observationes saepissime factae sunt; partim etiam, quod sectiones irritatam cerebri conditionem non indicant.

In primo inflammationis cerebri stadio, seu ut accuratius rem definiamus, in primo inflammationis membranarum cerebri et in iis arachnoideae (nam cerebri ipsius inflammatio raro observatur); in primo igitur stadio, in quo conditionem cerebri inter et irritabilitatem adauctam quaedam similitudo est, nonnunquam hyperosmia

quoque observatur. Occasio mihi ipsi oblata erat ad observandum hujusmodi casum: Puella annorum sex antea semper hilaris et bona usa valetudine sub Aprilis finem, ludos, quorum studio accingi solent pueri, vitabat et, amissa hilaritate, quin etiam de capitis doloribus querebatur. Sequenti die interdum ex iis non laborabat; ceterum non alia symptomata, pulsus CXXX ictuum, parvus. Me fortuito praesente sorores aegrotanti flores attulerunt et in iis convalarias majales, quibus gaudere primum aegrota visa est; odorem autem capiens cum horrore quodam odorem sibi nimis esse gravem dixit. Post meridiem vomitus, qui ter iteratur; frons calida, dolores capitis perlongius quam antea durantes, pulsus CXXXV ictuum. Ad vesperum hirudines et fomenta frigida applicantur. Somnus in nocte sequente nullus. Dolores capitis durantes, pulsus CXXXXV ictuum duriusculus; fomentis frigidis continuatur, iterum hirudines applicantur, Calomel praescribitur. Quae medicamina quum etiam diebus sequentibus adhiberentur, cura diligenti instituta puella post decem dies reconvalescit.

Hyperosmia ex his nobis signum irritabilitatis et irritationis cerebri adauctae praebet. Causa, cur illam non tam saepe in historiis cerebri morborum invenimus, in eo sine dubio posita est, quod medici symptoma tam leve non observatione dignum judicarunt. Hoc mihi probatum videtur, illam saepius adesse in cerebri morbis, quam citatam reperimus.

2) *Olfactus perversus.* Signum congestionis et

ita prodromus delirii dicitur, et delirantes non raro de odoratu foetido queruntur. Satis abundeque cognitum est, in hystericis talem perversionem olfactus adesse, ut e. g. odor foetidus pennarum ustarum, asae foetidae etc. iis suavissimus sit. Hoc dependet a cerebro irritato et signum sensorii communis turbati. In hystericis igitur duas olfactus turbationes invenimus et hyperosmiam et olfactum perversum. Conditiones cerebri in utroque symptomate variae. Quae res eo facile apparet, quod et variae conditiones hysteriae sunt causae.

3. ***Olfactus difficilis.*** Paucae adsunt observationes, in quibus sermo est de eo. Scriptores illum sub finem morborum gravium, febrium, post morbos chronicos in congestione et plethora cerebri observari dicunt. Semel mihi occasio observandi eum post dothienenteritidem, ubi homo aegrotus odorem perfoetidum, qui in cubiculo suo erat, olfactu non cepit.

4. ***Anosmia.*** Duos, in quibus, vulnerationes quum factae essent, omnino fere defuit olfactus, casus habet ***Larrey;*** quorum in uno (1) lobulus posterior et in altero casu (2) pars interna posterior lobuli anterioris vulnerata erat. In hydrocephalo eadem haec res a ***Fried*** (3)

---

(1) Larrey's Denkwürdigkeiten II. p. 29.

(2) Larrey in Gall-Anatomie et physiologie du systême nerveu en général et du cerveau en particulier. Par F. J. Gall et G. Spurzheim V. IV. p. 77.

(3) Fried in Mohrenheims Beiträgen II., p. 202.

observata est; in fungo durae matris ab *Arvers* (1), ubi fungus in plano posteriore partis petrosae ossis temporum; tum ab *Hill* (2), ubi fungus infra os dextrum bregmatis situs erat. In tumore scirrhoso, qui in basi lobuli anterioris positus et cum nervo olfactorio atrophico conjunctus erat, *Loder* (3) hoc observavit; in hydatidibus ventriculorum lateralium *Rendtorf* (4) et in hydatide fossae lobuli dextri *Marrah* (5). In induratione lobuli anterioris dextri apud *Yelloly* (6) et *Morgagni* (7) nonnulli casus numerantur.

Ex his quidem casibus, in quibus plurimum observata est anosmia, si diligenter comparamus eos, videtur nobis judicandum esse:

1) Morbis cerebri raro anosmiam provocari. (*Burdach* (8) rationem ponit 1: 173.)

2) Morbis gravibus solum procreari anosmiam ejus-

---

(1) Arvers in bulletin de la fac. de méd. de Paris 1815. no. I. p. 260.

(2) Jam. Hill chirurgische Beobachtungen, welche hauptsächlich den Krebs und die Verletzungen des Kopfs betreffen, aus dem Engl. übers. Leipzig 1777. p. 89.

(3) Loder anat. observ. tumoris scirrhosi in basi cranii reperti. Jenae 1779.

(4) Rendtorf diss. de hydatidibus Berol. 1822. p. 36.

(5) Marrah in Med. chir. transact. V. XI. p. 260.

(6) Yelloly Med. chir. Transact. VII.

(7) Joh. Bapt. Morgagni de sedibus et causis morborum per anatomen indagatis. Venet. 1762. ep. IX. art. 25.

(8) Karl Friedrich Burdach vom Baue und Leben des Gehirns. Leipzig 1836. B. III. p. 80.

que causam maxime in degeneratione lobuli anterioris cerebri, interdum vero etiam in posteriore positam esse.

3) Degenerationes illas maxime habere sedem in basi cerebri; ita ut in anosmia esse maximam in partem alienationes baseos cerebri, et in iis casibus, ubi fungus in superficie adesset, pressione baseos anosmiam procreari diceres.

II. DE VISU.

Visus organon prae ceteris sensuum organis arctissime cohaeret cum cerebro. Unde alienationes visus quoque saepius in alienationibus cerebri, quam turbationes aliorum sensuum adsunt. Alienationum, quae in sensu oculorum ex cerebri morbis proficiscuntur, optime hanc partitionem facimus:

1) Hyperaesthesis visus.

2) Anaesthesis visus.

3) Ludibria oculorum.

4) Acies oculorum diminuta.

5) Caecitas.

1) *Hyperaesthesis visus* signum inflammationis, irritationis et irritabilitatis adauctae cerebri. In hydrocephalo, et maxime quidem in primo stadio, ubi aliquis inflammationis gradus adest, observatur(1), in mollitie

---

(1) J. Abercrombie Untersuchungen über die Krankheiten des Gehirns und Rückenmarks, a. d. Engl. von Gerhard von dem Busch. Bremen 1829. p. 46.

fornicis et septi(1), in inflammatione (2) post vulnerationem sincipitis et postea accedente tumore (3).

Anaesthesis visus: signum est pressionis, atoniae et vis diminutae, quibus in conditionibus oculi non ultra afficiuntur quotidianis irritamentis. ***Abercrombie*** observavit illam ad finem meningitidis, ubi pseudomembrana in circuitu nervorum opticorum aderat (4); in encephalitide (5); post vulnerationem et cranium fissum (6); in mollitie fornicis conjuncta cum exsudatione in ventriculis (6); in exsudatione in ventriculis una cum tuberculis in cerebello (8).

3) ***Ludibria visus.*** Qua quidem significatione complectimur omnes illas visus affectiones, in quibus ab animo res capiuntur falso modo, vel, quamvis non adsint, quasi praesentes ei proponuntur.

Primum de ***scintillis*** loquimur: hoc symptoma saepissime adest; etiam in sano corpore, caput si profunde deprimitur, adspiciuntur, quod a nemine non observatum mihi satis superque persuasum est. Istae sunt signum congestionis, plethorae et inflammationis et prodromus apoplexiae. Eodem modo se habent muscae volantes et

(1) Abercrombie l. c. p. 171.
(2) Idem l. c. p. 216. 217.
(3) Idem l. c. p. 439.
(4) Idem l. c. p. 77.
(5) Idem l. c. p. 99.
(6) Idem l. c. p. 152.
(7) Idem l. c. p. 38. 76. 142.
(8) Idem l. c. p. 183.

puncta obscura circumvagantia; quo fit, ut conditiones, quae unum vel alterum symptoma provocant, non bene distinguantur.

Colores et gyri rubri: hoc signum magis est in inflammatione; non vero huic soli attribuendum, nam praeterea in plethora quoque, congestione et pressione observatur.

Cum ludibriis illis oculorum arctissime cohaeret et ideo ad illa adnumerandus:

Visus geminus vel multiplicatus. Haec visus alienatio existit, si axes oculorum materiam propositam non accurate tenent et ad illam non concurrunt. Ideo saepissime in inaequali positione oculorum (1); sed non minus saepe, etiamsi non adsit strabositas, observatur, et deinde maxime signum atoniae. Ita ab *Abercrombie* observatum in inflammatione chronica (2); in mollitie fornicis (3); in mollitie septi pellucidi et utriusque thalami nervorum opticorum (4); in mollitie septi et partium centralium (5); in mollitie cum suppuratione et hydrocephalo conjuncta (6); in inflammatione (7); saepius visus gemi-

(1) Nasse Anhang zu Abercrombie S. 1. Yelloly in med. chir. Transact. 1. p. 181.

(2) Abercrombie l. c. p. 102. 157.

(3) Idem l. c. p. 172.

(4) Idem p. 178.

(5) Idem p. 187.

(6) Idem p. 206.

(7) Idem p. 213. 217.

nus, prodromus apoplexiae (1), adest in morbis organicis, in tuberculis corporum striatorum et hemisphaerae (2), in tumore tentorii et mollitie partium adjacentium (3), in annularis corporis tumore, qui ad corpus pyramidale sese extendit (4). *Warner* (5) observavit casum, ubi visus duplicati, qui in uno tantum oculo inveniebatur, causa alienum corpus in sinu falciformi erat. *Sauter* habet casum (6), in quo res laterales simpliciter et res directe ante oculos jacentes dupliciter conspiciebantur. Non semper materiam duplicem conspici, sed interdnm etiam multiplicem casus nobis demonstrat (7), ubi flamma luminis vicies cernebatur post fracturam cranii.

4) ***Acies oculorum diminuta***: a) ***Hebetudo visus.*** In hac conditione homines mox obscuritate oculorum cessante, mox visu obscuro, mox obtusiore oculorum acie laborare sese dicunt. In his variis distinctionibus discrimen forsan inest; cerebri vero conditionem respicientes, operam perdimus oleumque, si reductionem ad varias cerebri conditiones nobis proponimus. Ejusmodi visus interpellationes observantur in inflammatione, apoplexia, commotione et exsudatione; ad finem meningitidis, ubi

---

(1) Abercrombie p. 271.
(2) Idem p. 440.
(3) Idem p. 441.
(4) Idem p. 448.
(5) Warner in Sammlung chir. Bemerkungen 1. p. 1.
(6) Baldinger's Magazin IV, St. 2. p. 117.
(7) Duncans Annals 1796. med. chirg. Zeitung, Ergänzungsband. p. 185.

exsudatio et compressio secuta est(1), in exsudatione in ventriculis et exsudato supra nervos opticos(2), in morbis, qui saccum serosum protulerant, tuberculosis, in extravasatione sanguinis, in morbis organicis cerebri, in tumore, qui cerebrum et nervos opticos premit(3), et denique in hydatidibus(4).

b) ***Amaurosis*** signum desorganisationis cerebri; ita observata est in degeneratione tuberculosa hemisphaerae sinistrae(5); post defectum sanguinis(6); post dextrae hemisphaerae tumorem, tantae, quantam habet juglans, magnitudinis, in quo partes tumori adjacentes mollitas, thalamos normales, nervos opticos autem corrugatos fuisse(7) diligenter tecum perpendeas. ***Wepfer*** observavit similem casum amauroseos, in osteosarcomatoso tumore, cujus sedes erat infra os bregmatis sinistrum(8). Interpellatio visus, de qua nunc disseruimus, in iis cerebri alienationibus adest, quibus nervi optici premuntur, sed conjunctio organi cum partibus cerebri respicientibus non omnino sublata est.

5) ***Caecitas*** appellatur illa conditio, qua commercium inter oculos et cerebrum omnino tollitur. Morbi

---

(1) **Abercrombie l. c. p. 38. 76. 142.**
(2) **Idem l. c. p. 137.**
(3) **Idem l. c. p. 436. 439. 441.**
(4) **Idem l. c. p. 447.**
(5) **Idem l. c. p. 237.**
(6) **Idem l. c. p. 410.**
(7) **Idem l. c. p. 436.**
(8) **Idem l. c. p. 442.**

sunt varii, qui defectum visus provocant. Observata est caecitas in abscessu partis posterioris hemisphaerae sinistrae(1); post inflammationem membranae, quae sinus circumdat, sequente exsudatione fibrosa et serosa(2); ita etiam in casu, quem *Goelis*(3) narrat, post exsudationem serosam et pseudomembranam in ventriculis lateralibus; post mollitiem septi pellucidi fornicis et partis anterioris cerebri cum exsudatione conjunctam(4); post vulnerationem sincipitis, sequente tumore, qui chiasma nervorum opticorum pressit, una cum exsudatione in ventriculis (5); in tumore, qui in tentorio cerebelli sedem habebat et cum falce cerebri conjunctus erat(6), in tumore lobuli anterioris sinistri cum mollitie(7); in tuberculis substantiae hemisphaerarum(8), in hydatide ventriculi dextri(9) et sinistri(10).

Alii adsunt casus, in quibus caecitas unius oculi observata est. Ita aderat caecitas oculi sinistri post vulnerationem lateris dextri sequente suppuratione(11); eadem caecitas sinistri oculi, ubi saccus cum albuminosa

(1) Batemann, Edinburgh med. Journ. Vol. I. p. 150.
(2) Anderson apud Abercrombie p. 152.
(3) Goelis von der Gehirnhölenwassersucht Fall 2.
(4) Abercrombie l. c. p. 175.
(5) Idem l. c. p. 232.
(6) Idem l. c. p. 436.
(7) Idem l. c. p. 436.
(8) Idem l. c. p. 441.
(9) Yelloly l. c. V. II.
(10) Heidington apud Abercrombie l. c. p. 447.
(11) Anderson apud Abercrombie p. 152.

exsudatione in parte posteriore hemisphaerae dextrae et cum mollitie partium adjacentium inveniebatur (1); caecitas mutua mox dextri mox sinistri oculi, quae vero postea utrumque tenuit, in tumore inter nervos opticos (2); caecitas oculi sinistri postea dextri in sinistrae hemisphaerae tumore, ejusdem, quae est ovo, magnitudinis (3); caecitas oculi dextri, quum tria adessent in ponte Varolii sarcomata, quorum unum ad pedunculum cerebri dextrum sese extendit (4).

Horum morborum, quibus defectus visus conjunctus est, casus citati nobis sufficiant. Praeterea caecitas observata est post subligatam herniam cerebralem, depressionem cranii, extravasationem sanguinis, pseudorganisationes atque tum, quum corpora aliena aderant. Quorum multum interest, ut plures hujusmodi casus proponantur, eos ad *Burdach* (5) relegamus. In ultimis casibus tales laudavimus, in quibus caecitas solummodo unius oculi aderat; et in plurimis latus adversum cerebri laborabat morbo quodam. Ex quibus forsan concludere licet desorganisationibus unius laterum cerebri procreari affectiones contrarii lateris visus. In tribus, quos nominavi, casibus apparere hoc neminem fugit. Alii vero, in quibus dimidium cerebri laborabat et caecitas utrius-

(1) Abercrombie l. c. p. 233
(2) Idem l. c. p. 236.
(3) Idem l. c. p. 440.
(4) Edinbg. Journ. Vol. IX. p. 470
(5) Burdach l. c. Vol. III. §. 672. 334.

que oculi aderat, impugnant illud. Conclusio igitur supra facta ut confirmetur, casus plures accuratos proponi et distinctos, qui desiderantur adhuc, necesse est.

Maxime adest caecitas in desorganisationibus ventriculorum lateralium, tum lobuli superioris et pallii, deinde thalumorum opticorum, lobuli anterioris corporum striatorum, cerebelli, lobuli posterioris; multo minus in aliis cerebri partibus. Morbos si respicimus, invenitur ea maxime in pseudorganisationibus, exsudatione serosa, mollitie, exsudatione sanguinea, suppuratione et induratione; rarius in hydatidibus, depressione, in corporibus alienis, excavationibus, commotione et vulneribus penetrantibus. Auctor mihi pro his est ***Burdach.*** Ejusdem secundum tabulam XVII. inter undecim casus abnormitatum cerebri unus est cum caecitate vel diminuto visu conjunctus. Idem alio loco (1) frequentiam caecitatis in abnormitatibus cerebelli majorem, (1: 11, 12) quam in abnormitatibus cerebri (1: 13, 64) et in abnormitatibus medullae oblongatae majorem, (1: 5, 63) quam in iis trunci cerebri (1: 8, 23) esse dicit. Quae vero minime consentiunt cum observationibus a ***Flourens*** et ***Rolando*** factis, qui in animalibus cerebello ablato non observaverunt caecitatem, ita quoque erat cum medulla oblongata; quum vero corpora quadrigemina et lobuli cerebri vulnerata essent, caecitas observabatur. In caecis quoque secundum

---

(1) **Burdach** l. c. III. §. 914.

Gall, *Soemmering*, *Michaelis* par anterius corporum quadrigeminorum, et thalami optici corrugantur.

Ut etiam ad aliam partem systematis nervosi respiciamus, medullam scilicet spinalem, hac quoque interpellationem visus procreari posse certum est. Irritabilitatem adauctam visus invenimus etiam in morbis inflammatoriis medullae spinalis, in meningitide, myellitide et mollitie. *Horn* (1) atrophia medullae saepe primo visum unius oculi, tum etiam alterius effici debiliorem et postremo omnino, quamquam cerebrum sanum esse videtur, tolli contendit.

III. DE GUSTU.

Functiones gustus in eo solummodo sunt positae, quod sensus saporem, qui revocandi non sunt voluntate, procreant. Alienationes gustus, quae rarius a cerebri morbis dependent, observatae sunt:

1) hypergeustia, 2) gustus perversus et 3) ageustia.

1) *Hypergeustiam* quod nunc primum attinet, illa ab iisdem cerebri conditionibus dependet, quibus et hyperosmia tenetur; idcirco hypergeustia etiam observatur in morbis colliquativis et anaemia, et non raro in phthisicis stadii tertii nimis est acutus.

2) *Gustus perversus*, quem in hystericis et gravidis observamus, forsan huc adnumerandus et signum deinde sensorii communis turbati et cerebri irritati.

---

(1) Horn de tabe dorsali p. VIII.

3) ***Defectus gustus, ageustia.*** In casibus supra nominatis duo sunt, in quibus cum anosmia et ageustia observata est; in utroque casu vulnerationes aderant, quarum una lobulum anteriorem, altera lobulum posteriorem cerebri affecerat(1). In meningitide, ubi lingua cum nigro fuco obtecta est, gustus quoque diminutus; quod autem symptoma a meningitide dependere non contendam.

De alienationibus gustus et earum causa a cerebri morbis profecta haud multum statuendum, observationes quia perrarae sunt et non accuratae. Experimenta ab ***Hertwig*** in animalibus instituta interpellationes gustus ad medullam oblongatam probant reducendas esse. Casus supra nominati etiam ex alienationibus lobuli anterioris et posterioris alienationes gustus procreari posse demonstrant, nisi forsan in illis casibus una irritationem paris V. supponimus.

IV. DE AUDITU.

Intimum connexum, quem auditus sensus cum cerebro et eo cum animo quoque et aliis corporis organis habet, penitus pernoscis, si in tanto experientiae campo, quomodo unus tantum sonus movere possit animum et corpus, contemplari voles. Auditus cum olfactu comparatus majorem tenet locum; functiones illius magis extensae, clariores et multiplices. Conjunctionem illam in-

---

(1) Larrey locc. citt.

ter cerebrum et auditum satis adhuc perspicimus, si ad vim, qua in morbis sese invicem afficiunt illae partes, animum convertimus. De alienationibus, quae a morbis cerebri dependere possunt, partitionem quandam facere optimum mihi visum est. Cujus quidem partes sunt:

1) Auditus nimis acris, Oxyceua;

2) auditus perversus;

3) auditus difficilis, baryceua;

4) Defectus sensus auditus, Cophosis.

1. *Auditus nimis acris, Oxyceua.*

Itard (1) hypercusin symptomaticam saepius in neurosibus quibusdam et praecipue in hysteria ac hypochondria adesse dicit. In his morbis causa certe in eadem conditione posita est, in qua etiam hyperosmia et hyperaesthesis visus, in irritabilitate enim et irritatione cerebri adaucta. In meningitide non raro adest Oxyceua; strepitus cujusque generis dolores, adeo vertiginem et syncopen provocant (2). In morbis colliquativis et anaemia non raro accidit, ut auditus, praecipue haud multo ante mortem, nimis sit acutus. Quod tam saepe observatum, ut nobis casus multi enarrandi non opus sint. Unum tantum afferam, quem vir usu mihi conjunctus observavit et communicavit: Senis 85 a. nati, pro aetate satis robusti et sani per annos 15 qua causa nescio auribus

(1) Itard, I. M. G. sur les maladies de l'oreille, p. 172.
(2) Burdach l. c. III. p. 79.

capti, vires, quum in morbum incidisset, magis magisque ita confectae sunt, ut hoc vel illum organon dixisses aegrotare. Morbus marasmus senilis nominatus. In functionibus psychicis nulla variatio, donec quatuor horas ante mortem non solum plenum auditum, sed etiam nimis acutum accepit, ita ut verba et sermones ex cubiculo adjacente optime audiret.

Davis (1), *Home* (2), *Michaelis* (3) in hydrocephalo oxyceuam observaverunt; in hydrope membranarum cerebri *Guthrie* (4) et *Wrisberg* (5); in suppuratione *Baldinger* et *Stark*, quorum alter (6) pus supra corpora quadrigemina et chiasma nervorum opticorum, alter (7) supra membranas cerebri jacens vidit. Apud *Abercrombie* (8) a Dr. *Hay* observatum mirabilem invenimus casum, ubi post laesionem sincipitis hypercusis una cum hyperaesthesi visus aderat; hyperaesthesis visus sensim in caecitatem transgressa est, hypercusis autem usque ad finem mansit. In sectione tumor tantae, quan-

---

(1) Davis im neuen Journ. in auserlesene Litteratur V. II. St. 1. S. 145.

(2) Home in Meckel's Archiv. V. III. S. 170.

(3) Michaelis in medical communiat. V. I. p. 404.

(4) Guthrie in phys. med. Jour. 1801. Dcbr.

(5) Göttinger Anzeigen. 1804. No. 2. S. 2025.

(6) Stark. Will. klinische und anatomische Bemerkungen aus dem Engl. v. Michaelis. S. 99.

(7) Baldinger. l. c. IV. St. 2. S. 117.

(8) Abercrombie l. c. p. 271.

tae nux juglans, magnitudinis, qui chiasma compressit nervorum opticorum, in sella turcica inventus est.

Ex his igitur statum cerebri in Oxyceua maxime videmus esse irritabilitatem cerebri adauctam et irritationem; sed adesse casus quoque, in quibus status pressionis inveniatur, nihilominus vero oxyceua. Huc casus suppurationis et ultimus, ubi in sectione tumor inventus, numerandus est. Qui quidem casus eo forsan explicari possunt, quod res, quae partem quandam premunt, partem adjacentem irritant. Ita saltem fuit in tumore, qui chiasma nervorum opticorum pressit.

2. *Auditus perversus.*

Inter omnes sensus, qui saepenumero animum fallunt, auditus est praecipue capax ejusmodi alienationum percipiendarum. Variae alienationes auditus hujusmodi plurimum sunt praegredientes, et prodromi aliarum alienationum; sed interdum tantum per longius tempus unicum sunt symptoma auditus aegrotantis:

a) ***Susurrus aurium*** signum plethorae et congestionis cerebri (1) et ita prodromus apoplexiae (2). Num in illis conditionibus motio sanguinis in cerebro audiatur, nondum certum. *Itard* (3) hac usus opinione exempla praebet. In febribus prodromus delirii; in inflamma-

---

(1) Itard l. c. p. 181, 90.

(2) Abercrombie l. c. p. 271.

(3) Itard l. c. p. 183.

tionibus durae matris et arachnoideae, ubi etiam status ante nominatus adest, susurrus observatur. In extravasatione sanguinis (1) et seri (2), in suppuratione (3), in mollitie (4), in pseudorganisationibus (5) et commotione cerebri (6) non raro invenitur susurrus aurium. Alia exempla adsunt, ubi susurrus aurium in tacta dura matre (7) vel presso fungo durae matris (8), vel abscisso fungo provocatus est. (9).

b) ***Tinnitus aurium***, qui maxime non longum tempus durat, alienationibus cerebri celerius praetereuntibus sine dubio adscribendus; quare in irritabilitate et congestione adest. Sed difficile est, discrimen inter alienatio-

---

(1) Bilguer. Chirurgische Wahrnehmungen, Berlin, 1763. S. 169.

Schmuckers Wahrnehmungen I. 3te Wahrnehmung.

(2) Stoll l. c. V. III. p. 229.

Brisseau in Sammlung chirurg. Bemerkungen. B. I. S. 198.

(3) Idem. l. c. V. III. p. 249.

(4) Lallemand, F. — Recherches anatomico-pathologiques sur l'encephale et ses dépendances. Paris 1820. p. 47. et p. 162.

Duncan. auserlesene Abhandlungen XXVIII. S. 526

(5) Nasse Fr. Leicheneröffnungen I. S. 40.

Brisseau l. c. I. p. 198.

Nasse zu Abercrombie S. 1.

(6) Bilguer l. c. p. 134.

(7) Salzmann de mira cranii fractura p. 4.

(8) Marigues in ac. de chir. XIII. p. 37.

Louis eodem loco. p. 57.

(9) v. Graefe in v. Graefe's Journal IV. S. 154.

nes cerebri invenire, quum ne symptomata quidem accurate distinguantur.

c) *Crepitus*, *bombus* in febribus ante deliria et prodromus apoplexiae vocatur. Crepitum ejusmodi aegroti esse dicunt, ut displodi caput videatur (1). Quod mihi videtur a rupta arteria profectum, uti Dr. ***Mills*** apud ***Abercrombie*** (2), vel sinu quodam, quod ***Douglas*** (3) observavtt.

His igitur alienationibus auditus variae subjacent alienationes cerebri; maximam in partem adest status pressionis a sanguine profectus; sed aliae quoque conditiones cerebri, ut mollities, pseudorganisationes etc. perversionem auditus continent. De loco nil statuendum.

3. *Auditus difficilis*, ***Baryceua.***

Haec auditus alienatio maxime prodromus cophoseos. Quae vero quum non semper subsequatur, auditus difficilis solus remanet. Non raro prodromus apoplexiae. Observatur in plethora, atonia, in febribus, in inflammatione et extensa et circumscripta (4), in quo ultimo casu exsudatio una aderat. ***Abercrombie*** hanc alienationem in tumore, qui supra os petrosum jacuit et quo par septimum compressum est, observavit. In

---

(1) Abercrombie l. c. p. 299.

(2) Idem. l. c. p. 216

(3) Edinb. med. Essays and Observat. Vol. VI.

(4) Abercrombie l. c. p. 142.

degenerationibus cerebri ejusmodi maxime defectus auditus adest, et tamdiu solum auditus difficilis, quamdiu affectiones auditus ad sensorium commune pervenire possunt. —

Ad hanc auditus alienationem mihi quoque paracusis ***Willisiana***, paracusis alternans et devorans numerandae esse videntur. Quae alienationes quasi medium tenent inter auditum difficilem et auditus defectum. Discrimen invenitu inter cerebri alienationes, quae indicant unam vel alteram auditus difficilis alienationem, haud facile est. —

In diebus proximis amicus casum hujusmodi mihi communicavit; quem satis gravem citatione non indignum putavi: Vir 42 annos natus magno praeditus ingenio et artis, quam profitetur et aliarum rerum, quas voluptatis causa tractat, praecipue musices peritissimus, quum in universitate Heidelbergensi literis imbueretur, per annos studii auditum suum diminui sensit, cujus rei gravem nunquam indicare potuit causam. Auditus, quam versus et mutatus sit in pejorem partem, eo conjicias, quod post annos quatuor altam claramque tantum vocem eamque cum difficultate audivit magna. Nunc status hujus sensus talis est, ut parum absit, ut omnino non percipiat vocis sonum. Musice, quam, uti jam dixi, tractat, ipsa nunc parvam modo voluptatem praebet, quia tam male et quod maxime mirandum unum sonum in quoque septem vocum intervallo, illum, quem nostri vocant e, non audit. Inter instrumenta optime audit fidem gravioris

soni, fidem altioris soni, et tibiam. — Phrenologorum observatione casus ille satis dignus esse mihi videtnr, atque operae pretium est inquirere alienationes sensus, qui discernit sonos. Alienationem illam idcirco praecipue ad cerebrum reducendam esse conjicio, quia alienationes auditus in familia viri illius sunt hereditariae.

4. *Defectus auditus, Cophosis.*

Morbi cerebri, qui defectum auditus provocant, maxime sunt gravissimi. Pro ratione, qua tenent illi defectum auditus, secundnm ***Burdach*** (1) tabulam XVIII. defectus auditus maxime invenitur in pseudorganisationibus, deinde in suppuratione et mollitie, tum in extravasatione serosa, postea in induratione et depressione cranii, denique in extravasatione sanguinea, in atrophia et commotione, postremo in hydatidibus et concrementis terreis.

Quod ad alienationum locum attinet, quae tenent defectum auditus, maxime observatur in alienationibus cerebelli, deinde ventriculorum lateralium, postea pallii, tum lobuli posterioris, lobuli anterioris, inferioris, corporis striati, pontis et medullae oblongatae, dein membranarum lobuli superioris et cerebelli et glandulae pinealis, denique glandulae pituitariae, membranarum lobuli posterioris et anterioris.

Burdach (2) differentiam ponit frequentis defectus auditus inter cerebelli (1 : 17, 80) et cerebri abnormitates

---

(1) Burdach l. c. V. III. p. 311.

(2) Burdach l. c. V. III. p. 434.

(1 : 36, 88) et frequentiam auditus in abnormitatibus medullae oblongatae (1 : 10, 33) majorem esse dicit, quam in abnormitatibus cerebelli. In sequentibus ad hanc rem occasione data revenimus. Quod ad medullam spinalem attinet, una modo exstat observatio (1), quantum mihi cognitum est, in qua surditas incipiens et postea completa, ubi in sectione portio cervicalis indurata et inflammata inveniebatur.

V. DE TACTU.

Omnium externorum sensuum unus maxime tactus a medulla spinali pendere videtur. Nihilominus vero et in cerebri morbis saepe observantur tactus alienationes: 1, hyperaesthesis, 2, tactus perversus, 3, anaesthesis.

1. *Hyperaesthesis*, vel communis, vel localis esse potest. In morborum cerebri, qui illam provocare possunt, numerum referuntur: irritabilitas cerebri adaucta, praecipue post vulnerationes, suppurationem, mollitiem et pseudorganisationes. Ita est hyperaesthesis observata a ***Petit*** (2) post vulnerationem cerebelli et lobuli posterioris cerebri, in suppuratione partis inferioris lobuli posterioris dextri (3), quae vulnerationem secuta erat. Alium casum ***La Peyronie*** (4) observavit, ubi in cerebelli peripheria membrana sola, glandula pinealis quadruplo ma-

---

(1) Portal Anat. méd. Tome IV. p. 117.
(2) Petit in ac. de Paris 1741. p. 209.
(3) Saucerotte in prix de chir. VX. p. 342.
(4) La Peyronie in ac. de Paris 1741. p. 208.

jor solito erat. Hyperaestheseos, quum in mollitie esset, casum *Arnold* (1) descripsit, ubi in lobulo posteriore dextro locus tantae, quantae ovum, magnitudinis, mollis, in sinibus autem exsudatio serosa. In tumoribus superficiei, quos *Gooch* (2) observavit, dolores in brachio lateris contrarii erant. Rheumaticis doloribus similes saepius adsunt in hydrocephalo dolores trahentes, quibus aures, oculi, collum, dorsum, brachia, pedes quin etiam totum corpus premitur (3). Dolores illi haud raro cum paralysi una apparent; cujus rei *Abercrombie*(4) casum narrat, ubi in sectione una cum exsudatiione sanguinis in superficie hemisphaerae sinistrae mollities, quae ad posterioris partes extenta irritabilitatem tactus adauctam cum paralysi lateris contrarii antea provocarat. Idem (5) alium casum a *Bouillaud* observatum laudat, ubi in sectione tumores reperiebantur in hemisphaera sinistra, quorum nonnulli ovo minores in suppurationem transgressi erant.

2. Secundum alienationum tactus genus, ***tactus perversus*** raro tantum in observationem cadit; ad quod numerandus est casus, quem Dr. *Falconer* (6) descripsit. Virum quendam, post paralyticum inpetum res fri-

---

(1) Arnold Alb. Guil. Diss. sistens fungi medullaris in cerebro inventi exemplum. Vratisl. 1822.

(2) Abercrombie l. c. p. 449.

(3) Idem. p. 357.

(4) Burdach l. c. III. §. 339.

(5) Abercrombie l. c. p. 448

(6) Mem. of the. med. Society of London. Vol. II.

gidas quum tetigisset, calidas semet tangere, quum vero res corporis temparaturam accepissent, putavisse dicit, frigidiores eas factas esse. Pruritus, formicatio et narcosis magis sunt alienationes sensorii communis, et ideo ipsis non est hic locus; omnes autem signa esse possunt morborum organicorum cerebri et praecipue membranarum.

3. ***Anaesthesis*** mox in una corporis parte, in extremitatibus, in capite, mox in toto corpore observatur; ita apud ***Wepfer*** (1), ubi hernia in occipite, aquam flavescentem continuit; in extravasatione sanguinis (2), in thalamo nervorum opticorum et sinu laterali sinistro; in induratione apud ***Marcat*** (3), ubi medulla oblongata, pons, thalami optici, corpora striata et lobuli posteriores indurata erant; in pseudorganisationibus apud ***Arvers*** (4); in tumore plani posterioris ossis petrosi, qui partes adjacentes: cerebellum, pontem et lobulum posteriorem pressit; apud ***Bilguer*** (5), ubi post fissuram ossis ethmoidei tactus inde a collo usque ad pedes defuit.

Quae quidem res hyperaesthesin ex irritabilitate cerebri adaucta et morbis cerebri inflammatoriis progredi

---

(1) Wepfers Beobachtungen No. 23.

(2) Tacheron Recherches anatomico pathologiques. Paris. 1822. III. p. 411.

(3) Marcat in hist. de l'ac. de sciences à Montpellier I. p. 334.

(4) Bulletin de la fac. de méd. de Paris. 1815. No. I. p. 260.

(5) Bilguer l. c. p. 162.

demonstrant; anaesthesin econtra magis adesse in atonia et statu pressionis cerebri.

Inter casus citatos plures invenimus, ubi in abnormitatibus cerebri tactus lateris transversi affectus erat. Hujus rei si rationem habes, forsan ita tactum se habere, ut motionem, diceres; accedit, ut saepissime turbatio tactus una cum paralysi adsit. Hic forsan conjiceret aliquis, ab iisdem, quibus motus dependet, partibus sensum tactus quoque dependere? Quod autem cur verisimile mihi non videatur, causae sunt:

1) quod eodem tempore in eodemque organo apparent paralysis et hyperaesthesis, quae, inaequales ut conditiones cerebri partis respicientis sint, postulant.
2) Tactus et motio non semper eodem tempore in uno organo sunt turbata; ita paralysis adest sine turbato tactu (1).
3) In casibus, in quibus et motio et tactus desiderabantur, saepius motio restituitur, neque vero tactus et vice versa (2).

Secundum ***Burdach*** tabulam XVI alienationes tactus maxime observantur in abnormitatibus pallii, ventriculorum lateralium, deinde lobuli anterioris et superioris et glandulae pinealis. Inter morbos, qui affectiones tactus provocant, primum locum tenent: exsudatio serosa et mollities, deinde exsudatio sanguinea, suppuratio et

(1) Abercrombie l. c. p. 361.
(2) Idem l. c. p. 362.

pseudorganisationes. Aliae alienationes, in quibus observantur affectiones tactus, haud frequentes.

Reliquum est, ut respiciamus etiam medullam spinalem, quae maximi est momenti in sensu tactus. Morbi, qui irritabilitatem medullae diminuunt, provocant paralysin sensus: ita res prementes, exsudationes, tumores, medulla rupta, myellitis chronica, omnium autem una maxime mollities. Rarissimum sensus paralysis observatur signum meningitidis, congestionis et indurationis. Quod partes attinet tactu destitutas, illae dependent a loco, respondente medullae, affecto. Affectiones medullae in parte vel sinistra vel dextra locales videntur latus respondens afficere (1); non omnino ita cerebri affectiones se habent.

(1) Cruveilhier anat. path. obser. I.

VITA.

Joannes Antonius Eduardus Liese natus sum Olpenae in Guestphalis anno hujus saeculi decimo secundo, patre *Francisco Michaeli Liese*, mercatore, quem in vivis esse maxime gaudeo; matre *Maria Catharina* ex gente *Zeppenfeldt*, quam dilectissimam quinque ab hinc annis morte mihi ereptam valde lugeo. Fidem catholicam profiteor. Primis literarum elementis ut imbuerer, duos annos et sex menses gymnasium Briloniense, tum tres annos et sex menses Laurentianum Arnsbergense frequentavi, unde a *Philippo Baden*, directore, maturitatis testimonio dimissus, tempore paschali MDCCCXXXII almam universitatem Gissensem petii. Ibi ab Ill. *Palmero*, rectore magnifico, civibus academicis et facultati medicae adscriptus per annum praelectionibus interfui V. V. Ill. Ill. *Wilbrand* botanicis, anatomicis, physiologicis et de principiis philosophiae naturalis, *Liebig* de chemia experimentali, *Wernekink* de mineralogia, geognosia, osteologia et exercitationibus anthropotomicis, *Schmidt* de physice, Cel. *Rau* de encyclopaedia medica. Tum ad almam universitatem Rhenanam me contuli, ubi ab Ill. *Walthero*, rectore magnifico, civibus academicis adscriptus et ab Ill. *Harlefs*, decano spectabili, in numerum medicinae studiosorum relatus per duos annos et sex menses scholas frequentavi V. V. Ill. Ill. *Harlefs* de pathologia et semiotice, diaetetice et historia hominum, *Goldfufs* de zoologia, *Mayer* de physiologia et anatomia comparata, *Bischoff* de materia medica, *Kilian* de morbis infantum, de arte obstetricia, et armamentario obstetricio, *Wutzer* de oculorum morbis, de chirurgia tam generali quam speciali, de doctrina operationum chirurgicarum, de anatomia chirurgica, Cel. *Nasse* junioris, de doctrina ope-

rationum ophthalmiatricarum, Ill. *Fr. Nasse* de therapia tam generali, quam speciali, anthropologia, physiologia et pathologia cerebri. In practicis exercitationibus mihi duces fuere in clinico propaedeutico per semestre et therapeutico per annum Ill. *Fr. Nasse*; in clinico chirurgico et ophthalmiatrico per annum Ill. *Wutzer*; in operationibus in phantomate instituendis et in clinico obstetricio per sex menses Ill. *Kilian*. His peractis anno MDCCCXXXV. hanc almam musarum sedem petii. Mihi ab Ill. *Busch*, rectore magnifico, in civium academicorum numerum recepto et ab Ill. *Mueller*, decano spectabili, medicinae studiosis adscripto per semestre proximum praeceptores fuere Ill. *Juengken* in clinico ophthalmiatrico, Ill. *Rust* in clinico chirurgico, Cel. *Barez* in clinico de morbis infantum.

Quibus viris omnibus quam maxime de me meritis gratias dicere, quas possum, maximas valde me juvat; semperque eorum memoriam pio gratoque animo servabo.

THESES.

1. Vesanus est, qui facultate privatus est errorem suum intelligendi.
2. Facinus, quod vesanus in lucido intervallo committit, ipsi non ita imputandum, quam sano.
3. In secundo arthrocacis stadio prolongatio membri non necessaria.
4. Psoitis rarissime morbus primarius.
5. Inflammatio chronica semper est complicata.
6. Medicus non semper minister naturae.